

mare demersis manum porrigimus, ut eos extrahamus. Eo spectat, quod. S. Aug. de verb. apost. I. ad Thess. IV. ait: *Pompa funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepultura, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum.* Sublevant ergo atque imminuunt mœrorem lugentium, qui eorum amicos defunctos comitantur cum honore et amore ad honestam sepulturam. Bene S. Chrysost. hom. V. op. imperfecti in Matth. ait: « Semper pluvia bona est maxime tamen grata est tempore siccitatis. Et visitatio amicorum suavis est multo tamen suavior in tempore luctus. » Et paulo post: « Sicut navis tunc præcipue gubernatorem necessarium habet, quando tempestatem patitur; quando autem prosperata est, ipsa se dirigit, et miles tunc præcipue necessariam habet annonam de rege quando bellum et periculum instat: quando autem pax est, undecumque possunt se milites sustentare. » Sic etiam qui per mortem perdidit charos suos propinquos et amicos, tunc maxime consolatoribus et solatio egent, quando eos afferunt in sepulcrum, nunquam deinceps fruituri eorum præsentia et conspectu. Sane videtur etiam Deus ipsemet ad hoc pium opus incitare nos voluisse eo miraculo, quod operatus est in gratiam Theophanii comitis, viri operibus misericordiæ dediti, ut testatur S. Greg. hom. XXXVI. in evang. « Cum enim appropinquante mortis ejus tempore gravissima aeris tempestas obsisteret, ne ad sepeliendum efferri possit eumque uxor cum fletu interrogaret: Quid, inquit, faciam quomodo te sepulcro condam, quæ ostium domus præ tempestate egredi non possum? Respondit ille: Noli flere, quia mox ut defungar, aeri redibit serenitas, cujus protinus et vocem mors et mortem serenitas est consecuta. » Quando igitur et Deus hujus viduæ lacrymas ob defunctum maritum voluit abstergere, justum est, ut nos studeamus temperare luctum eorum, qui defunctos suos terræ commendant et ultimum eis valedicunt.

III. Quia per hoc admonetur viventes mortalitatis suæ, ut dicere sibi cogentur: *Hodie tibi, cras mihi.* Eo respexit Sapiens, quando dixit Eccl. VII. *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum et vivens cogitat quid futurum sit.* Loquitur autem de funebri luctu et exequiis ut ibi tradit S. Hier. ad Olympiad. Præferuntur ergo nobis in illa pompa funebri viva quædam specula, qualia olim Ægyptii in suis mensis statuebant seu sculpta seu vera cadavera, ut in ea intuentes biberent convivas admoneant. Verum

utinam non essemus: *Similes homini consideranti vultum nativitatis suæ in speculo.* Consideravit enim et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit, ut ait S. Jac. cap. I. Quod tamen communiter fieri testatur S. Aug. ser. CXX. de diversis: « Cum efferuntur mortui, inquit, cogitatur mors et dicitur: Væ misero, talis fuit, heri ambulabat aut ante septem dies illum vidi, illud atque illud mecum locutus est: nihil est homo, murmurant ossa. Sed forte cum mortuus plangitur, cum funus curatur, cum sepelitur, viget iste sermo. Sepulto autem mortuo, etiam talis cogitatio sepelitur. Redeunt illæ curæ mortiferæ, etc. » Et. I. L. hom. XXVIII. « Quotidie moriuntur homines et qui vivunt deducunt illos, exequias celebrant et vitam sibi promittunt. Nemo dicit: Corrigan me ne cras hoc sim, quod iste quem deduxi. » Quodque magis stupendum, ut advertit S. Chrys. hom. XLVIII. in op. imperf. *Quotidie manibus suis efferunt mortuos, et mortales se esse non putant.* Etenim quando audiunt aliquem mortuum, vel pulsum pro eo dari, interrogant: Quis ille? Resp. talis. Non est mirum, inquit, fuit enim senex, jam maturus fœci mortis; qualis ego needum sum. Audiunt mortuum juvenem neque hoc ad ipsos, aiunt fuisse temerarium, exposuisse se periculis et aeris tempestatibus. Dicitur defunctus esse vir fortis et robustus. Nil mirum, inquit, intemperanter vixit, in vinomersus est. Aiunt mortuum pauperem, neque hoc mirantur, non habuit unde viveret, dicunt. Fertur mortuus dives sub manu medicorum. Quid mirum? aiunt, occiderunt eum medici, vel non est secutus eorum præcepta. Nihil horum tangit. Sic deluduntur miseri, et immortales se arbitrantur.

IV. Quia per hoc exercemus opus pium ac meritorium, necnon protestationem fidei catholice. Prius illud jam ostendimus alias et satis confirmat David, qui propter opus hoc misericordiæ impensum regi Sauli, benedictos appellavit, II. Reg. II. et confirmat S. Aug. de verb. apost. I. Thess. IV. *Si pro viribus, inquit, cura sepeliendi et sepulcra construendi, quia et hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt.* Posterius ex eo patet, quasi si de infidelibus loquamur, nescierunt illi animæ immortalitatem: ideo mortuos suos vel in cineres redegerunt, vel ad corvos abjecerunt, vel si quo honore affecerunt, supremum eum reputarunt, nihil de illorum statu in altero sæculo solliciti, adeoque depositos etiam memoria sepelierunt. Si vero catholicos spectemus, efferunt quidem illi suorum cadavera cum apparatu, sed more politico, sine cruce, sine luce, sive precibus ad Deum pro ip-

sis; denique in profanum agrum nulla benedictione sacratum: ubi id unum procurant ut depositus a blaterone dilaudetur, qualiscumque is tandem fuerit: sed a multitudine procreatorum liberorum, a pluribus successu temporum ductis uxoribus, a generis nobilitate, divitiis, prudentia hujus sæculi, a zelo et fervore retinendæ et propagandæ fidei suæ. Denique promittitur omnibus passim certa et segura cœli hæreditas. Sic discedit a sepulto sine omni pia cogitatione aut precatione quo modo deferuntur patibularii postquam suspensi aut combusti sunt. Nullæ postremo prois sunt exequiæ aut memoriæ in templo, nullæ ad sepulcrum preces, nullæ in pauperes erogatæ elemosynæ. Non omittendum hic quod scribit noster Juc. Gualth. in tabula sua chronographica sæculo decimo septimo in hæc verba: « Mense circiter jul. anno 1613. Villanovæ in provincia Vivariensi moritur notarius quidam publicus Calvinianus, qui sacerdotes pro defunctis dum ad sepulcrum deferrentur psallentes irridere ac rudentibus asinis æquiparare consueverat. Hic cum effertur, ecce apparet magnus asinus coloris fuscæ, qui nulla ratione abigi potest, quantumcumque id jubeat minister quique unde venerit, aut cujus fuerit, nemo scit. Is quidem circa mortui cadaver horrendum in modum rudens, ac sepulcrum ejus aliquoties circumiens qui demum eos qui funus erant comitati, ad defuncti domum redeuntes secutus evanescit. Res itaque explicata illic explorataque omnibus est, ut nemo sive catholicorum sive Calvinistarum inficiari audeat. » Hæc ille. Utique asinus hic cacodæmon, quid derisorem catholicorum cæremoniarum suo rugitu honestare, et ad inferos deducere voluit.

V. Quia per hoc stimulantur excitanturque viventes ad sectandam virtutem ac pietatem, ob quam potissimum pompa funebris instituitur. Tametsi enim virtuosæ animæ, quæ ad Deum emigrarunt, pompam hujusmodi minime desiderant, nihilominus tamen Ecclesia justam esse censet ut tales cum honore debito ad aliorum incitamentum deducantur ad sepulturam. Ita D. Hier. ep. ad Saulam de morte Blesillæ scribit: « Postquam autem sarcina carnis abjecta ad suum anima revolavit auctorem et in antiquam possessionem diu peregrinata conscendit ex more parantur exequiæ et nobilium ordine præeunte, aureum feretro velamen obtenditur. Videbatur mihi tunc clamare de cœlo: Non agnosco vestes, amictus iste non est meus, hic ornatus alienus est. » Similiter scribit de S. Paula, qua ratione episcoporum humeris, aliis pontificibus cereos præferentibus maximo populi

et monachorum accursu elata sit, in ejus vita. Et quis, rogo, non incitaretur ad vitam pietatiendam, si videret B. Alexium ab imperatoribus et pontifici summo efferri ad tumulum, S. Romualdum abbatem ad S. Emeranum Ratisbonæ ab Henrico rege, postea imp. S. Gerardum mart. a S. Ladislai Hung. regis humeris transferri, S. Theodoricum abbatem manibus Theodorici Francor. reg. sepeliri? Quodque magis mirum, si cui viro sancto debitus sepulturæ honor defuit, Deus nonnunquam ipsemet miraculo supplevit. Ita anno D. 1062 cum fames intolerabilis Flandros premeret, grandisque multitudo hominum panis quærendi gratia conflueret Aldenburgum, repertus ibi quidam prima luce qui sub dio de nocte fame (ut creditum est) perierat: qui sepeliretur, prohibuit sacerdos Godobertus ne pulsarentur campanæ, eo quod homo esset ignotus; sed ecce tibi stupentibus cunctis, qui aderant, prodigio per se aereæ illæ campanæ (mirum dictu) personuerent. Refert Jac. Meyer. I. III. annal. Flandr. anno. 510. Idem accidisse cum S. Bonif. archiep. Mogunt. et mart. Fuldam transferretur, et S. Alberto de monte Drepano, referunt historiæ.

Hujusmodi igitur supremum honorem quadamtenus deferimus hodie defuncto nostro pro viribus saltem nostris, quando satis persuasum habemus eum, cum nobiscum ageret, vitam homine vere christiano dignam transegisse, hæc et hæc præclara facta perpetrasset, etc.

## CONCIO XV.

QUA RATIONE LUGENDI NON SINT DEFUNCTI.

THEMA

*Non contristemini de dormientibus I. Thess. IV.*

Non immerito quis dubitet, quo animo ferenda sit mors charorum, æquone an iniquo, hilari an tristi. Utraque enim sententia suos patronos habet et motiva, ita ut non sit obvium cuivis discernere, quid sentiendum sit. Atque ut a gentilibus incipiamus, Solon mortem suam lugeri jussit: contra Ennius vetuit, vir uterque sapiens. Romani cum luctu novendiali et præficarum planctu suo efferebant: contra alii, ut Massilienses, olim sine lamentatione suos sepeliebant. Troglodytæ mortuorum cervicis pedibus alligabant, sicque cum risu et jocis eos efferebant, apud Ravis. text. in officina, de vario inhumandi ritu. Deinde nostri legislatores non videntur hæc



in re omnino convenire. Eccles. enim c. XXXVIII. ait: *Fili, in mortuum produc lacrymas et quasi dira passus incipe plorare.* Vetat contra apost. I Thess. IV dicens: *Non contristemini de dormientibus.* Quid multis? Ipse Dominus noster super mortuum ploravit Lazarum; idem tamen, Luc. VII. prohibuit viduæ deplorare filium: *Noti flere.* Quid igitur hic sentiendum.

I. Non lugendi sunt more hypocritarum seu Pharisæorum, qui lacrymas fingunt cum in corde gaudeant de morte conjugis aut alterius. De his P. Chrism ho. LXIX ad pop. ait: « A ludibriis minime differunt, quæ gerantur a nonnullis. Quod enim non ex dolore sint illi forenses planctus, sed ex ostentatione potius et inani gloria, inde clarum est quod multæ per artem hoc faciunt. » Cujus exemplum recitat M. Aurelius imp. in ep. ad Laviniam de nobili femina Fulvia M. Marcelli uxore quæ cum maritus ad rogum efferretur coepit faciem laniare, crines sibi evellere, vestem lacerare, in terram ruere ita ut duo senatores accederunt ejusque manum tenerent, ne adeo sibi noceret. Interim tamen antequam mariti corpus ureretur, alteri senatori, qui eam ducebat, manu stipulata promisit matrimonium. Non ita sed plorandum candidè, ut testemur amorem nostrum eumque sincerum erga defunctum; quomodo ploravit Christus super Lazarum ita ut dicerent Judæi: *Ecce quomodo amabat eum!* Joan. XI. Et hoc imprimis ne videamur mortuum propinquum non amasse quod vitio dandum esset. Unde Crassus Romanus exprobat Domitio, quod sine luctu tres uxores sepelisset, apud Elian. I. VIII his. c. IV. Deinde ne videamur ficti ejus amici fuisse et assentatores; qui præ se ferunt amorem erga viventes, mortuos tamen minime plangunt: quia nil jam emolumenti ab eo expectant. Denique, ne videamur lætari de eorum obitu; si forte in vivis cum ipso non bene convenimus. Hac de causa David publico luctu testatus est, sincerum amorem suum erga Saulem dominum, sibi licet infensum. *Scidit enim vestem suam, audita ejus morte, flevit et planxit jejunavitque ad vesperam.* II Reg. I.

II. Non more puerorum qui mero sensuali ex amore mortem parentum aut propinquorum deflent: interim defunctis opem non ferunt. Naturalis quidem est hic fletus et culpa caret inanis tamen est quia et in ethnicis reperitur, imo si S. Basil. (vel Ephremo, in ora de mort.) credimus, etiam in bobus. Scribit enim Basil. hom. V. in mart. Julittam: *Vigi ipse aliquando bovem ad præsepel lacrymantem, cum contubernalem suum morte ereptum cernebat.* Hujusmodi fletus erat il-

lius matris, quæ ut supra retulimus ex Cantip. I. III. apum c. LIII. lacrymis tantum continuis prosecuta fuit defunctum filium per visum sibi objectum et vas aquæ in dorso portentem, retardavit ab ingressu cœli. Itaque lugeamus velut viri et ratione præditi, qui non tam doleamus quod propinqui nostri ceciderint, quam qua ratione eos erigere, et si in pœnas incidissent, eripere queamus. Ita monet S. Chrys. hom. LXI in Joan. *Honor mortuo, inquit, non fletus est, non ejulatus, sed hymni et psalmi et vita optima. Vis honorare mortuum? Fac eleemosynas. Quæ tibi in multis fletibus utilitas? Et hom. XLII in I ad Cor. Mortuus est peccator? Nilere quantum fieri potest ut juvetur non lacrymis sed præce supplicationibus eleemosynis oblationibus.* Et ser. III in ep. ad Phillip. *Juvenus isto adhortemur et alios ut pro illis orent. Audi quid dicat Deus, IV Reg. XIX. Protegam civitatem istam propter me et propter David servum meum. Si memoria dumtaxat justitantum valuit quando et opera pro tali fiunt quid non poterunt?*

III. Non more mulierum immoderate scilicet quia illæ fere modum excedunt et decorem minus observant, nec se consolari norunt, de quibus S. Amb. orat. III. de morte Satyri fratris ita scribit: « Illud frequens in mulieribus ut clamores publicos ferant quasi metuant ne earum ignoretur ærumna: ut illuviem vestis affectent, quasi in ea sit sensus dolendi, ut implexum sordibus immaditent caput ut postremo (quod plerisque in locis vulgo fieri solet) discisso amictu, dilacerata veste secreta pudoris nuda prostituant: quasi ipsum lenocinentur pudorem, quia pudoris sui præmia perdidierunt. » Non ergo sic, ut mulieres lugeamus defunctos sed ut viri genere. Ita monet S. Chrys. ho. LXIX. ad pop. « Migrantes lugeamus, inquit, non prohibeo, lugeamus sed non indecenter, non comas velentes, non detegentes brachia; oculos non dissipantes, non pullis utentes vestibus sed tantum in animo silentes amaras fundentes lacrymas Licet enim absque hoc exteriori cultu amare lugere; nec illudere dumtaxat. » Quando igitur molis et tenera natura resolvitur in lacrymas ob mortem dilecti adsit masculus animus, qui eandem corrigat, uti docuit imprimis Christus D. quando ob mortem Lazari flentibus ejus soloribus et ipse infremuit spiritu in semetipso; hoc est ut exponit S. Chrys. *Cum ad lacrymas commotus esset motum frænavit ne flendo loqueretur præter decorum.* Imitetur lugens Davidem qui intellecta filii morte resumpsit animum et compescuit mœrorem dicens: *Numquid potero eum revocare amplius? Ego vadam magis ad eum, ille*

vero non revertetur ad me, II. Reg. XII. Cogitet mortem a Deo esse, uti et pignora sibi credita Deum repetiisse quod suum orat. Hinc Damasus ad quemdam filio privatum dixit: Si nondum tristatus es, cum nondum filius esset, ne nunc quidem dolere, debes cum non amplius est. » apud Stob. ser. CXXI. Optime vero S. Job de quo S. Basil. h. IV. de grat. act. « Nonne Job adamantino corde erat, non impacta ipsi erant ex lapide viscera? Momento temporis una et eadem plaga obtriti liberi decem conciderunt in perquam amœna domo. Non ejulavit, non sibi divulgavit comam, vocem ingenerosam nullam emisit, magis vero celebrem illam et omnium ore decantatam gratiarum actionem deprompsit: Dominus dedit, Dominus abstulit. » Taceo Abrahamum, qui siccis oculis filium ad mortem ducit et jamjam immolare voluit. *Sed dicit quis, inquit Chrys. in I. ad Coloss. IV. At illi admirabiles viri erant. Certe admirabiles et magni erant. A nobis tamen major requiritur religio, quam ab illis, qui antiquam vivendi formam sequebantur.*

IV. Non more gentilium, qui spem resurrectionis non habebant, uti monet s. apost. I. ad Thess. IV. *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus ut non contristemini sicut et ceteri, qui spem non habent.* Ubi notat S. Aug. ser. XXXII. de verb. apost. non prohiberi ab apostolo omnem tristitiam in morte defunctorum (hæc enim naturalis est) sed eam, quam habuere gentiles, qui, ut ait: « Spem non habent. » Ergo « Contristemur nos, (inquit), in nostrorum mortibus necessitate admittendi, sed cum spe recipiendi inde tristamur, hinc consolamur: inde infirmitas afficit, hinc fides reficit; inde dolet humana conditio, hunc sonat divina promissio. » Pulchre S. Chrys. in illa apost. verba I. Thess. *Nolo vos, etc.* scribit: « Discamus ab infidelibus, quod judicicia de rebus alia, quam illi habemus. Aspicit cœlum infidelis, et adorat: Deum enim esse putat. Videt terram et colit, et in res mortales inhiat. Nos contra cœlum videmus et cœli opificem admiramur, non enim Deum esse, sed Dei opus credimus. Ita et in morte facimus. Videt cadaver ille, et putet cadaver esse. Video cadaver ego et puto summum esse et partem tantum mortis. Cogita anima ad quem abiit et cape consolationem. Ubi Petrus, ubi Paulus, ubi sanctorum cœtus omnis est. Cogita corpus, quomodo resurget, quanta cum gloria et splendore. » Sic ille. Ad hæc gentiles opinabantur hominem in morte totum plane occumbere, cum anima et corpore. At vero Christiani norunt salvo spiritu carnem præcise mori. Jam si quis audiret filium aut amicum suum in prælio fortiter dimi-

cantem confossum subter equo prostratum fuisse in terram, attamen incolumem evasisse; parum sane aut nihil doleret. Jam vero quando propinquus obiit, si homo bonæ vitæ fuit, equus dumtaxat ejus cecidit, corpus videlicet, eques hoc est anima incolumis evasit. Certe Xenophon ille Socraticus, ut refert D. Hieron. in ep. ad Heliodor, cum sacrificans filium in bello occubuisse intellexisset, coronam deposuit: mox tamen, ibi inaudit, fortiter di nicantem occidisse in caput eam reposuit. Non habuit hic fidem qua crederet animam filii adhuc in saltem esse; sed hoc præcise creditit propter animi fortitudinem victurum adhuc in ore saltem et memoria hominum aliquanto tempore. Et tamen hac levicula cogitatione potuit reprimere mœrorem et exhilarare animum gravi vulnere læsum. Qui ergo non possit hoc Christianus, qui scit defunctum suum vivere adhuc dimidium?

V. Non more Judæorum, qui lectum extendebant minimum ad septem dies, juxta id. Ecl. XXII. *Luctus mortui septem dies:* quandoque ad dies triginta uti in morte Moysis, Deut. XXXIV. et Aaronis, Num XX. quandoque ad septuaginta dies uti in morte Jacob, Gen. L. Sed fecerint hoc illi, ignoscendum est; quia cœlum adhuc claudendum erat usque ad Christi adventum, et ascensionem in cœlum. At vero Christiani, qui credunt portas cœli jam a Christo reseratas esse luctum pro suis mortuis tamdiu circumferre in pectore non deberent; tametsi in externo vestitu juxta morem patriæ præ se ferre eum possint: in hujus rei figuram scribit S. Hieron. in ep. ad Fabiolam de XLII mens Aaron qui fuit typus synagogæ, planctum fuisse: Jesum vero Nave, seu Josuen, qui fuit Christi et Ecclesiæ typus, non fuisse planctum. Rationem addit. *In lege descensus ad inferos; in evangelio ad paradysum transmigratio.* Accedit ratio ex natura deprompta; solent enim et bruta animantia, dum auferuntur eis foetus, ad tempus id sentire, lamentari, et resistere; id tamen non durat. Unde Seneca, l. de consolat. ad Marciam, c. VII. scribit: « Aspice mutorum animalium quam sint concitata desideria, et tamen quam brevia: vaccarum uno die alterove mugitus auditur. Nec diutius equarum vagus ille amensque discursus est. Feræ cum vestigia catulorum consecutæ sunt, et silvas pervagatæ, cum sæpe ad cubilia expilata redierint, rabiem intra exiguum tempus extinguunt. Aves cum stridore magno inanes nidos circumfremuerunt, intra momentum tamen quiete volatus uos reperunt. Nec ulli animali longum foetus sui desiderium est nisi homini qui adest



dolori suo nec tantum, quantum sentit, sed quantum constituit afficitur. » Sane vacæ illæ quæ duxerunt arcam in terram Israel. I. Regum VI reclusis domi vitulis eorum, mugiebant aliquo tempore, quamdiu scilicet audierunt mugientes vitulos, uti sentit Divus Chrys. hom. VI, in Gen. postea vero vitulorum oblita perrexerunt recta in Bethsames. Sic decet lugere Christianos; magis pergere in trahendo jugo Domini, quam lamentari defunctos suos.

VI. Non modo crocodili, qui cadaveribus insidiatur et si quod deprehendit, lacrymis perfundit, non sane ex commiseratione, sed quia novit lacrymas suas valere ad findenda ossa quo medullam hauriat. Unde Proverbium illud ortum: *Lacrymæ crocodili*; quæ scilicet propriam utilitatem spectant, uti refert Vincentius, hist. nat. I. XVII. c. LXVI. Hujusmodi sunt, qui lugent propinquorum obitum, ut hæreditate eorum potiantur; vel ne ingrati videantur, quia ea jam potiti sunt: vel adhuc portionem aliquam legatam sibi expectant. Non sunt hæ christianæ, nec humanæ, sed crocodoli et prædonum lacrymæ. Foris luctus, intus gaudium est, oculi flent, cor ridet. Vultur est, cadaver expectat. At vero si defuncti dum viverent, forte scandalo aut impedimento salutis tibi fuerunt (qua sæpe inimici hominis domestici ejus ait Dominus) posses clam lætari de ipsorum morte; tametsi foris luctum præ se ferre opus esset, ne scandalum aliis præberes. Idem dicendum de illis, quos, si vixissent, pervertendos justo timore metuebamus. Gaudere enim de illorum morte possumus, quod huic periculo subtracti sint; quo modo mater juvenis illius, Melithonis, inter quadraginta martyres sub Licinio in lacum demersos; quem cum mater adverteret spirantem adhuc versari in periculo salutis, quod impia turba ei machinabatur, ut ad illorum cultum puer revocaretur, sublatus in humeros deportavit ad socios martyres jam extinctos et in eorumdem rogum iniecit mortuum, ut haberetur in breviario, et scribit S. Basilius in orat. de iisdem habita.

VII. Denique non lugendi sunt superstitiose; quo vitio laborabant in primis gentiles, qui genas sibi radebant ad sanguinis effusionem, capillos evellebant, vestes lacerabant, in terram cadebant, rogum sanguine servorum aut etiam carorum cruentabant, brachia sua vulnerabant uti scribitur in antiq. Rom. I. V. c. XXXIX in Herodoto, Luciano et aliis. Hoc enim insanum est et barbarorum, hominum atheorum et similibus qui spem salutis non habent. Eodem vitio ex parte sordebant Judæi posteriores, qui non contenti lacrymis, varios etiam et inconditos gestus

eiebant, complodendo manus, stringendo brachia, tundendo pectus, scindendo vestes, aliaque superstitiosa adhibendo (uti tibicines, qui modularentur lugubre carmen; quos tacere jussit Christus, Matth. IX.) quæ hauserunt a gentilibus, cumque ea ad christianos Græcos et suos Antiochenos derivata vidisset S. Chrys. acriter in ea non semel invecus est, uti hom. LXX. tota ad populum Antioch. rursum hom. IV. in ep. ad Heb. uti ita scribit: « Stemus ergo fratres irridentes mortem. Sed compellor gemere amarissime, ubi nos Christus extulit, ubi nos ipsi dejicimus. Cum video enim luctus in plateis et lamentationes super exeuntes de hac vita et ululationes; credite mihi, confundor. » Et mox: « Cum alius quidem capillos dissipat, illa vero ululat, quid hac re confusibilis? Credite mihi dicenti: Si enim sicut oportebat, fieret, multo tempore debebant hujusmodi ab Ecclesiæ limine prohiberi. » Jam vero quando audivimus, quæ ratione defendi non sint mortui, superest, ut eos, qui defunctum suum repetiit, cogitent statutum esse semel mori omnibus hominibus. Cogitent defunctum a plurimis humanæ vitæ miseriis esse absolutum: cogitent migrasse ad meliorem vitam.

## CONCIO XVI.

IMMODERATUS LUCTUS VARIO EX CAPITE  
REPRIMENDUS.

THEMA.

*Modicum plora super mortuum, quoniam requievit.*  
Ecl. XXII.

Cum aspicio circa funus lugentes et plorantes, vix scio quid mihi agendum sit; laudemne an vituperem! Lacrymas eorum compescam an potius proritem! Video enim et sanctos viros hæc in re non semper sibi similes fuisse. Etenim S. Ambrosius mortem fratris sui Satyri, viri admodum sancti, flere noluit, sed in oratione funebri inter alia dixit: *Quid te, mi frater, amantissime, fleam? Non enim perdidisti usum tui, sed commutavi.* Contra S. Bernard. mortem fratris sui Gerardi, viri itidem religiosi et piissimi amarissimis lacrymis deplanxit in sermone ejus funebri, ut in cant. quem his verbis clausit: *Finem verborum inducunt lacrymæ, tu illis, Domine, finem modumque indixeris.* S. Hier. in ep. ad Paul. c. V. consolatur eam de morte filia et lacrymas ejus abstergere conatur, et dum id agit, ipsemet plangit. Ita enim ibi scribit: « Sed quid agimus? Matris prohiberi lacrymas ipsi plangimus. Non est opti-

mus consolator, quem proprii vincunt gemitus. Testor, mea Paula, Jesum, eadem me perpeti dolorum tormenta, quæ tu pateris. Confiteor affectus meos, totus hic liber fletibus scribitur. » Quid igitur hic agendum? Nimirum standum dicto illi poetico: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines.* Hoc utique vult Ecclesiast. cum c. XXII. scribit: *Modicum plora supra mortuum, quoniam requievit.* Et S. August. serm. XXXIV. de verb. apost. « Necesse est, inquit, ut tristes simus, quando nos moriendo deserunt, quos amamus; quia etsi novimus eos non æternum relinquere sed aliquantum præcedere secuturos, tamen mors ipsa quam natura refugit, cum occupat dilectam, contristat in nobis ipsius dilectionis affectum. » Similiter S. Bernard. ser. XXVI. cit. in cant. *Non culpamus stultum, nisi cum excedit modum: ille nimirum natura est.* Excessum vero illum graviter reprehendit S. Hieron. epist. LII, ad Paulam: *Detestanda sunt lacrymæ, inquit, plena sacrilegio, incredulitate plenissima; quæ non habent modum, quæ usque ad vicinam mortis accedunt.* Has igitur in præsens solas dissuadere et reprimere conabimur.

I. Suadet primo, communis moriendi necessitas. Nemo enim ab hac exemptus est, ne ipse quidem Filius, et beatissima ejus Mater. Quod imprimis proponit D. Chrysost. hom. LXIO. ad pop. « Cogita, inquit, quod Dei Filius mortuus est, et ille quidem propter te, tu vero propter teipsum. » Et postquam dixit: « Si possibile est transeat calix iste, tristitiamque pertulit et agonia, mortem tamen non effugit, et ipsam multa cum amaritudine sustinuit, etc. Si fabulæ non hæc sunt, noli lugere. » Præterea ea universim Testamentum est hujus mundi morte morietur, ait Ecl. c. IV. Similiter Thecuitis illa consolatura Davidem super mortem filii Amnon: *Omnes morimur et quasi aquæ dilabimur in terram qua non revertuntur.* II. Reg. XIV. His accedit S. Ambros. orat. fun. de obitu Valentini imp. « Nihil habetis, quod gravissime doleatis in fratre. Homo natus est humanæ obnoxius fuit fragilitati. Nemo se redimit a morte. non ipsi reges, imo ipsi gravioribus subjacent. Job dixit: Numerati anni dati sunt potenti: timor autem ejus in auribus ejus: quando videtur habere pacem, tunc venit ei conversio. » Et orat. de fide resurrect. « Quid absurdus, inquit, quam ut id quod scias, omnibus esse præscriptum, quasi speciale deplores! Hoc est animum juxta conditionem extollere, legem non recipere, commune naturæ consortium recusare, mente carnis inflari, et carnis ipsius nescire mensuram. Quid absurdus, quam nescire quid sis. Affectare quod non sis! Aut quid

imprudenter, quod futurum scias, id eum acciderit, ferre non possis? » Hinc coepiscopus quidam S. August. ab illo visitatus in ægritudine. consolatori, qui dicebat posse eum diutius vivere et Ecclesiæ prodesse, respondit: *Si nunquam bene, si autem aliquando, cur non modo?* Possidius, in vita S. August. c. XXVII. Porro hoc argumento consolabantur se etiam ethnici; unde frequens erat illorum proverbium: *Ad mortem nascimur.* Sic Anaxagoras philosophus nuntiata sibi filii morte, nihil turbatus: *Sciebam, ait, me genuisse mortalem, ut refert S. Hier. ep. III. ad Heliodor.* Quare si gentiles hoc argumento poterant, temperare luctum cur non possint christiani qui norunt causam, ob quam inciderunt in hoc naturæ debitum, ex lapsu scilicet parentum nostrorum?

II. Suadet ærumnosa hujus sæculi vita, cui subducti sunt per mortem propinqui nostri. Quis enim nescit, quantis miseriis et calamitatibus vita hæc subjecta sit in quocumque statu? Certe sapientissimus Salomon, Ecl. IV, dicere non dubitavit: *Laudavi magis mortuos quam viventes, et feliciorum utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.* Unde S. Hieron. in ep. ad Tyrasium existimat, non flevisse Christum, Joan. XI. quod Lazarus mortuus fuerit, sed quod resuscitandus esset pro bono aliorum, ad hanc miserabilem vitam.

« Plene, inquit, Lazarum mortuum Dominus flevit, sed non tuas lacrymas fudit. Doluit Lazarum non dormientem, sed potius resurgentem, et flebat, quem cogebatur propter salvandos alios ad vitam revocare. Hanc vitam dans Dominus ingemiscebat, quam tu doles esse sublata. » Consentit Hieronymo Sanctus Ambrosius, in oratione. de fide resurrect. scribens: *Quas non procellas tempestatesque patimur in hac vita? Cujus parcitur meritis?* Postea recenset, quanta in hac vita pertulerit sanctus patriarcha Jacob, castissimus Joseph. mansuetissimus David, tumque subdit: « Quis tu es, qui de tuo merito ante pronunties? » Et paulo infra: « Vide quod mors pro remedio data est, quasi finis malorum; non enim dixit, (Deus) quoniam audisti vocem uxoris tuæ, reverteris in terram, etc. Sed dicit: Manducabis panem tuum in sudore, donec revertaris in terram. Vides mortem magis metam esse nostrarum pænarum. Ergo mors non solum malum non est, sed etiam bonum, etc. » Denique S. Chrys. hom. LXIX. ad pop. « Si defunctum diligeres, inquit, gaudere oporteret atque lætari, quod ex præsentibus esset absolutus. Quid enim amplius superest quæso! Quid vero peregrinum et novum? Nonne per singulos dies eadem cerni-